

# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Ecce Melissa vestra !*



*... mira res : Buddhismus in nostris regionibus  
magis magisque floret. Cur ?*

☞ p. 2

*... de alchemia quid est cogitandum ? Utrum  
chimaera est an scientia ?*

☞ p. 4

*... mortis Lipsianae relatio Romae recondita  
erat in quadam bibliotheca*

☞ p. 7

*... fabulae Coreanicae altera pars proponitur*

☞ p. 10

*... seriei, qua mores antiqui explicantur, ecce  
ultima symbola*

☞ p. 13

*... novi libri et phonodiscus compactus  
nuntiantur*

☞ p. 15

*... properetis oportet, si participandis  
conventibus Latinis nomen nondum dedistis*

☞ p. 16

# INDIA

## UTRUM SIT LONGINQUA AN PROPINQUA

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

**P**roximae factae sunt nostris temporibus diversae orbis terrarum regiones. Corpora nostra intra brevissimum temporis spatium quolibet transportantur maxima commoditate. Quid autem de mentibus: suntne mentes nostrae propiores factae mentibus earum gentium, quae propriis cultibus vel religionibus imbutae sunt?

Re vera crederes rem nostris temporibus paulatim ita fieri. In diariis, exempli gratia, legimus maximum Tibetanorum pontificem, qui Dalai Lama vocatur, Francogalliam nuper visitavisse ubi per integram septimanam quinque milia hominum docuit. Inter auditores nonnulli monachi Benedictini et Cistercienses etiam reperiuntur.

Ceterum Dominico die 25 m. Maii vir singularis invitatus est ad verba facienda in emissione televisifica, c.t. «Noms de Dieux» (Nomina Deorum). Qui vir Francogallus, Rolandus Rech nomine, 53



annos natus, munere administratoris fungebatur in magna fabrica chemica c.n. Rhône-Poulenc, cum munus deposuit ut fieret monachus Buddhista «Zen». «Zen» est vocabulum Iaponicum de vocabulo Sinensi «chan» derivatum, quod ipsum derivatur de vocabulo Sanscritico «dhyāna», quo significatur meditatio. Monachus Iapo Dogen nomine tertio decimo saeculo versatus est in Sinis, unde doctrinam Zen in Iaponiam importavit.

Rolandus Rech (cfr imaginem supra) discipulus fuit monachi Iaponis c.n. Taisen Dechimarū, qui post alterum bellum mundanum quindecim annos docuit doctrinam Zen in Francogallia. Ipse Rolandus Rech ante decem annos coepit hanc doctrinam per Europam propagare. Sunt nunc

temporis in Francogallia sescenta milia Buddhistarum, quorum plerique sunt origine Asiani, sed non pauci Francogalli.

Emissionem televisificam, in qua interrogabatur Rolandus Rech, spectavi. Qui vir apparuit stolā sericā indutus. Sub calvaria omnino rasa, vultum ostendebat placatum instar Buddhae: palpebrae erant semiclausae, facies et os vix mobile, subrisus levis et continuus. Corporis omni ex parte compos, magna affabilitate loquebatur.

Dixit doctrinam Zen in orbe occidentali liberatam esse a traditis consuetudinibus, quae eam in Asia coartant. Addidit eam re vera non esse religionem, sed potius sapientiam ad universalem traditionem mysticam pertinentem; eam nullo modo adversari religioni Christianae. Agi de vitae significatione; in orbe occidentali praevalere cupiditatem potestatis, qua proderetur vera significatio nostrae vitae; inde oriri egoismum humanae societatis occidentalis. Praeterea in cultura occidentali exstare dualismum mentis et corporis, corpus contemni propter sensum peccati.

Quid Buddhismus Zen occidentalibus afferat, Rolandus Rech experientiā suā explicat: imprimis homo se ipsum cognoscit, corpore non excluso; discit fieri liber, i.e. a rebus materialibus non pendens, magistrum imitari atque ritus colere, qui discipulis sunt maximo adiumento; Buddhae habitum exercet ad mentem firmandam.

\*  
\* \*

Quae cum audivissem, in memoriam revocare volui quibus circumstantiis ortus esset Buddhismus.

Clarus orientalista Francogallus Renatus Grousset scripsit<sup>1</sup> tres fuisse cultus, qui nomine «humanismi» plane essent digni, cum nobis tradidissent cogitata vere humana de Universo atque de hominis loco in Universo: sunt cultus Hellenicus, cultus Indicus et cultus Sinensis.

Hi tres cultus separatim creverunt atque singuli solum circa initium aerae Christianae unus alterum invenire coeperunt.



In India, in valle fluminis Indi, archaeologi ab anno 1922 reppererunt cultum civilem antea omnino ignotum. Ibi circiter inter annum bis millesimum quingentesimum et millesimum quingentesimum ante Christum natum floruerunt pagi rustici, urbes lautae commodaeque et portus ubi aestus reciprocus iam retinebatur saeptis mobilibus. Infeliciter neque incolarum lingua nobis est nota, neque eorum scriptura intellegibilis; adhuc solum breves inscriptiones in sigillis incisae inventae sunt, quarum pictogrammata omnino differunt et ab hieroglyphis Aegyptiacis et a scriptura cuneiformi Mesopotamiae.

Hic primus cultus civilis in India inopinanter disparuit circa medium secundum millennium ante Christum natum. Tunc enim nomades, qui se ipsos «Aryas» vocabant, i.e. nobiles, e media Asia emigrantes transierunt ingentes montes quibus India ad septentrionem finitur atque irruerunt in Indi vallem ubi praedia sedentariorum incolarum vastaverunt. Aryae, quibus erant currus equis tracti et arma ferrea, facile superaverunt sedentarios, qui neque equos neque ferrum noverant.

\*  
\* \*

Victores Aryae per multa saecula manserunt nomades. Eorum tribus inter se saepissime bellabant. Aryae illius aetatis cultu civili egentes vix ullum vestigium reliquerunt, quod archaeologos nostros de eorum vita rebusque gestis monere posset: neque urbes, neque statuas, neque sigilla, neque vasa, neque lateres, neque coemeteria. Unum tamen monumentum ad nos pervenit, quod est ingens carminum copia. Quae carmina, «Vedae» vocata, composita sunt inter medium secundum millennium et medium primum millennium ante Christum natum. Sunt fundamenta cultus Indici. Vedae per multa saecula solum verbo traditae sunt. Etiam post scripturae usum circa sextum saeculum ante Christum natum in Indiam introductum, mansit consuetudo recitandi. Nam divinam revelationem quae in Vedis inesse creditur, solum audire fas est.

Aryae imprimis fuerunt pastores, quorum praecipuae opes constabant e gregibus boum et ovium. Paulatim sedentarii agricolae facti sunt. Dei, quorum res gestae celebrantur in Rigveda (i.e. antiquissimus liber e quattuor Vedarum libris), plures sunt quam in Homeri carminibus. Aryae, initio suae mansionis in India, nondum credebant metempsychosin (i.e. animarum transmigrationem post corporis mortem in alia animantia).

Ad finem aetatis, intra quam Vedae compositae sunt, Aryae divisi erant in multa parva regna, quo-



*Haec aenea saltatrix, monili et armillis solum vestita, secundo millennio a.C.n. confecta est in valle Indi. Faciem habet similem Nigritis; sic enim videntur fuisse primi illius regionis incolae.*

rum hereditarii reges suo ipsius iure atque ad suum proprium commodum utebantur regni opibus.

Religio etiam mutata est. Iam non sufficit ingenua deorum adoratio. Brahmanismus nunc viget, ubi cleri Brahmani vocati sacrificia soli procurant atque ritus scrupulose observant, sed ubi vix supersunt verae cogitationes religiosae. Sola accuratissima rituum executio sacrificio confert optatam efficacitatem. Quare Brahmani, quibus harum rerum est monopolium, potentissimi facti sunt atque ipsis principibus praestant. Huius modi formalismus non a cunctis acceptus est. Erant etiam eremitae et ascetae, quos populus magis venerabatur quam Brahmanos. ☪

*(sequetur)*

<sup>1</sup> *De la Grèce à la Chine*, Monoechi, ed. Les Documents d'Art, 1948.

# THEATRUM CHEMICUM

PROPONIT STEPHANUS FEYE

Saepe accidit, per iucundas sessiones domus Latinae Bruxellis, ut disputetur de Hermetismo, de Cabala (sive Kabbala) et de Alchemia. Nullo modo miror si haec argumenta, temporibus hodiernis pessime nota, suscitent inquisitiones et opiniones tum varias cum vanas et contrarias.

Sed sit Alchemia Chimaera annon, sit scientia annon, duae tamen eius fatendae sunt virtutes irrefutabiles: in primis, occasio nobis data ut nostram linguam patriam, i.e. Latinam, vehementer exerceamus; secundo, numerus vere ingens (multo ingentior quam plerique imaginantur!) scriptorum Latinorum (Graecorumque Arabicorumque...) relictorum a variis auctoribus Europaeis ab antiquitate usque ad hodierna tempora.

Ergo, existimans opinionem uniuscuiusque scientifici condendam esse nullo modo in fide sed potius in experientia, candido lectori proponere volo nonnulla excerpta e libro miro edito Argentorati anno 1659, cuius vero editio princeps facta est Lutetiae anno 1541 apud Fridericum Morel. Titulus est: «Theatrum chemicum, praecipuos selectorum auctorum tractatus de chemiae et lapidum philosophici antiquitate, veritate, iure, praestantia et operationibus continens».

De auctore Roberto Vallensi Ruglensi (nomen suum sic ipse latinizat Robert de Valle, oriundus ex urbe Rotomago [Rouen]) fere nihil novimus. Videtur mortuus esse anno 1567. Tantum scimus nobis servandum esse discrimen personarum: fuit alter quidam «Robert de Valle» (forsitan progenitor auctoris nostri) commentator Plinii (circa 1500).

Sic amplius et fusius, ut spero, poterimus etiam etiamque disputare...



DE VERITATE ET ANTIQUITATE ARTIS  
CHEMICAЕ. CAPUT PRIMUM.

David, Psal. 12:

*Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne  
examinatum, probatum terrae, purgatum  
septuplum.*

Alii ita vertunt:

*Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne  
examinatum, probatum ter, repurgatum septuplum.*

Vel:

*Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne  
examinatum in vase terreo, purgatum septies.*

Vel:

*Verba Dei, verba pura, argentum in aludele  
exustum in terram, seu pulverem, refusum septies.*

Hoc enim vocabulum Aludel Arabice, sublimatorium Latine est, quo Arabs ille Geber Abenhaen, vel Ebenhaen inter Arabes chemicos philosophus praecipuus, Avicenna, Rhazes, Hali, Morienus et alii plerique Latini frequenter utuntur. Est autem Aludel, sive Sublimatorium, vas in quo fit sublimatio chemica; quae est rei siccae per ignem elevatio cum adhaerentia sui vasis. Rei (inquam) siccae, id est, inferiorum elementorum, seu materiae. Per ignem, scilicet lenem, aequalem, humidum, continentem, exsiccantem, digerentem, et propinquum naturā. Elevatio, id est, conversio, sive nobilitatio, et perfectio. Cum adhaerentia sui vasis, id est, connaturalis, salsuginosi, et in quo est virtus lapidifica. Illa namque sublimatione, septies quidem vel pluries iterata, argentum (quod naturā suā auro est impurius et imperfectius) auro quovis naturali sive vulgari reddi potest multo perfectius.

Nec intellegas hanc perfectionem puritatemque sibi sola fusione accedere. Si enim illud summā diligentiam saepe ac saepius igne examinaveris, propterea perfectius sinceriusque auro naturali non reddes, nisi sublimatione illa chemica septies vel pluries iterata rite utaris. Ob id igitur verissima est illa similitudo, qua propheta ille David verba Dei vera et sincera tali argento arte chemica defaecato ac praeparato comparavit potius quam auro naturali sive vulgari. Quod quidem aurum quamvis purum et perfectum inter omnia metalla existimetur, aliquas tamen faeces, licet paucas, heterogeneas in se continet. Alioqui enim propheta verba Dei sincera potius auro quam argento comparasset.



*rosa,  
quae ab ecclesia decantatur die D.  
Ioan. Evangelistae sacro mense  
Decembri, auctore Adamo a sancto*



Victore. Cuius initium est: Gratulemur ad festivum, etc.:

*Cum gemmarum partes fractas solidasset, has distractas tribuit pauperibus*

*Inexhaustum fert thesaurum, qui de vergis fecit aurum, gemmas de lapidibus.*

Divus enim Ioan. Evangelista ab Avicenna lib. de anima, dictione prima, ad finem cap. septimi, et a Vincentio, in *Speculo naturali*, inter Christianos qui artem chemicam exercuerunt, enumeratur.

Hermes Aegyptius, quem Trismegistum vocant:

*Verum, sine mendacio, certum, verissimum. Quod est superius, est sicut quod est inferius; et quod est inferius, est sicut quod est superius, ad perpetranda miracula rei unius. Pater eius est sol; mater eius est luna. Portavit illum ventus in ventre suo. Nutrix eius est terra. Et vis eius est integra, si versa fuerit in terram. Sic habebis gloriam claritatis totius mundi. Ideo fugiet a te omnis obscuritas, etc.*

B. Tho. Aquinas in 2.2.q.77 articulo 2:

*Si autem per Alchemiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere. Quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus causis ad producendum naturales et veros effectus; sicut Aug. dicit in 3. de Tri. de his quae arte daemonum fiunt.*

Idem in principio lib. 4. Meteor.:

*Praecipuus Alchemistarum scopus est transmutare metalla, scilicet imperfecta, secundum veritatem, et non sophisticè.*

Idem:

*Metalla transmutari possunt unum in aliud, cum naturalia sint, et ipsorum materia eadem.*

Idem alio loco:

*Carissime fili, non abhorreas super nomine lapidis. Nullus enim umquam potuit, nec in posterum poterit tingere aurum, nisi cum auro. O carissimi divinae artis filii, declinate ab omni errore caecitatis, et attendite veritatem consistere tantum in tribus, ex quibus componitur verum philosophorum Elixir, videlicet ex lapide lunari, in quo sulphur est album, ex lapide solari, in quo est sulphur rubeum, et lapis Mercurii amplectitur utrumque, quod album scilicet et rubeum.*

Guilielmus Parisiensis:

*Intentio philosophorum est facere de corpore spiritum, scilicet argentum vivum purum, quod dicitur philosophicum. Cum autem oporteat componere lapidem ex duabus substantiis, volatili et fixa, necesse est prius ex unione illarum conficere eorum argentum vivum, antequam fiat Elixir completum.*

Io. Duns Scotus, Doctor subtilis:

*Aliqui dicunt, bonum esse mutare materiam de uno vase in aliud interdum, quod verum non est. Sed sufficit lapidem semel poni in vase suo bene clauso, nec inde egredi, quousque totum compleatur*

*magisterium; et, quod amplius est, a malo est, ut in generatione hominis et omnis vegetalis, numquam nisi semel matrici imponitur semen.*

(...)

**R**esipiscant, rogo, qui naturam ipsam, omnium parentum sollertissimam, omnemque philosophiam evertere audent, hancque Chemiam naturalem philosophiae partem meliorem, admirabilem et occultam, humano generi apprime necessariam, suae genitricis naturae aemulam, quae circa rerum naturas, causas et virtutes abditas, maxime generis mineralis, versatur, ignoranter rident.

Quam Hermes ille Trismegistus veram sine mendacio, certam, verissimam appellat, et quam probant Plato, Eustathius, Suidas, Solinus, Strabo, Plinius et alii permulti, et quam Geber donum Dei altissimi et benedicti, sublimis et gloriosi assertit. Cuius miro artificio componitur pulvis ille regius, sive sal fusile, oleum, sive sulphur naturae non urens, terra philosophorum, Elixir, aurum potabile seu philosophorum, Aqua vitae, tinctura, lapis pretiosus, Indus vel Indicus, seu philosophicus, vel Medicina, quae in tria rerum genera, animale, vegetale et minerale, actiones mirandas facit, ut tertio capite fusius tibi explanabitur. Ob id enim veteres philosophi lapidem illum animale, vegetalem et mineralem esse dixerunt.

Unde Arnaldus in Rosario: *Alchemia est una pars celata philosophiae naturalis, praeter alias partes necessaria; ex qua ars una constituitur, cui non est par.* Illa enim lapides pretiosi imperfecti perficiuntur, corpus humanum aegrum sanitati restituitur, et metalla imperfecta in aurum et argentum transmutantur, uno quodam corpore medicinali universali, ad quod omnes particularitates medicinae sunt reductae et infusae.

Faxit autem Deus opt. max. ne perniciose incidas in manus et laqueos istorum impostorum, qui circa res inutiles, vel fortasse prohibitas, tincturas albas aut rubras sophisticas, augmentationes, multiplicationes et extractions auri (ut falso loquuntur) operam suam misere ludunt, scienter et malitiose plebem passim, cui multa, vel aureos montes, pollicentur, fallentes. Variis enim et vanis laboribus sophisticis facultates suas et aliorum consumunt, falsis, periculosis, damnosis ac sophisticis studiis praxeos et mille imposturis transigunt aevum omnemque vitam deterunt, quorum nonnulli pocula, alii fortunas, alii luxus, alii honores, alii turpissimas lubidines sequuntur.

Unde male audit aliquando apud multos illa

vera, naturalis, rara, abdita ac divina ars Chémica, immo scientia tam supernaturalis, ita ut illusio et mera deceptio habeatur et credatur. Istos nebulones, sycophantas, impostores, sophistas nihili facias, asperneris et longe arceas ab animo tuo, qui profecto philosophi Chémici vocabulo digni non sunt; quin potius sinceros sive probatos libros Chémicos philosophiamque ipsam naturalem diu, multum et anxie, non lucri aut gloriae gratia, prorsus amplectaris et evolvas, Chémiamque illam sublimem caelitus demissam a patre luminum suspicias, illique consecreris, faveas, et bene preceris.

Ars enim illa in potentia divina servatur, et cui vult elargitur et subtrahit qui est gloriosus et sublimis et omni iustitia et bonitate repletus. Cui semper agenda sunt gratiae et laudes decantandae pro ineffabili illius bonitate et innumeris bonis naturae hominum praestitis.

Praeterea ne incidas in quorundam huius pretiosissimae artis calomniatorum nugas, loquacitatem et scripta, qui cum in multa tempora aetatis suae libros aliquot de hac arte scriptos per transennam et ignare revolverint, tamquam desperati, illam misere contemnunt et scriptis suis dedecorare student, variis ac falsis receptis suis de auro potabili conficiendo. Contemnunt enim quod ignorant, vel fortasse ab impostoribus et sophistis decepti, vel suae humanae sapientiae et eloquentiae inhaerentes, falso sibi persuasi, se illam artem Chémicam, ex industria antiquorum philosophorum, immo divinitus, obscure scriptam, intellegere posse.

(...)



oan. Picus Mirandula libro De dignitate hominis

*Veteres consueverunt res divinas, altas et sublimes sub velo multorum aenigmatum et fabularum poeticarum scribere.*

Veteres enim permulti sub fabulis poeticis tanta mysteria huius pretiosissimae artis et naturae secretiora tractaverunt et data opera occuluerunt.

Nam fabulas, de dracone quem Cadmus interfecit, qui postea admonitu Palladis interfecti dentes sevit, unde extiterunt illi terrigenae fratres. De sacrificio Hecati apud Orpheum. De Medea, quae Aesonem filium Iasonis in iuventutem restituisse fingitur. De Saturno, qui Caelo patri suo genitalia abscidit et in mare proiecit, ex quorum commixtione sanguinis cum spuma maris Venus procreata est. De eodem, qui dicitur filios, mox ut nati sunt, comedisse. De Aesculapio qui eos suscitabat, qui iam fere erant extincti. De Iove, qui sese convertit in pluviam auream. De pugna

Herculis et Anthei. De oculis Argi in pavonis caudam conversis. De Orpheo. De Pyrrho et Deucalione. De Androgynis seu Hermaphroditis. De Gorgone, qui omnes se conspicientes in lapides convertibat. De Mida, qui annuente Baccho, quicquid tangeret, in aurum convertibat. De Iove converso in aquilam, qui subvolavit cum Ganymede in caelum. De Daedalo et Icaro. De nube spissa, cum qua Iupiter circumdedit Io. De Phoenice, qui semper reviviscit. De Salamandra. De dracone, qui suo gravi halitu homines interficit. De Demogorgone, ut scribit Boccatus, abavo omnium deorum gentilium et ab omni parte circumdato tenebris, nebulis, caligine, habitante in mediis terrae visceribus, qui ubi natus fuerit, vestitur quodam viridi pallio, humiditate quadam aspersus, et non prognatus ab aliquo, sed aeternus et parens omnium rerum. De Vulcano, qui cum recens natus turpis esset et deformis, praecipitatus fuit in insulam Lemnos. De Helenes pharmaco, quod luctus, bilis malive obliviae cunctis bibentibus inducebat. Et similia poetarum et philosophorum antiquorum figmenta et aenigmata, Eustathius, Suidas et alii auctores gravissimi ad Chémicam artem referenda esse interpretantur.

Etiam sub variis aedificiis, quale fuit Labyrinthus: picturis, imagunculis, quales erant Sileni; characteribus, monstris, quales erant Sphinx, facie puellari, alis volucris et pedibus leoninis, et Chimaera, prima parte leonis imagine ac ingenio, media draconis, postrema caprae; et animalibus varie depictis et transmutatis, quae in templorum foribus et palatiis insculpta erant. Huius generis et figmenti est Nicolai Flamelli aenigma, quo effinguntur duo serpentes, seu dracones, quorum unus est alatus, alter vero minime, et unus leo alatus, etc. Quod hodie in beatorum Innocentium coemeterio Lutetiae Parisiorum conspicitur. Quae a doctissimis tantum, qui huius Chémici secreti tam rari, tam latentis, tam caelestis thesauri, haberent cognitionem, intellegebantur.

Sic Pythagoras et Plato suam philosophiam numeris suis obscurarunt. Deum enim, et animas nostras, et cuncta quae sunt in mundo numeris constare asseruit Pythagoras, ex eorumque concentu et harmonia universa gigni. Et Aristoteles libros aliquot a se editos perinde ac si non fuissent editi, quadam ad Alexandrum epistola, testatur. Vides ergo artem Chémicam non esse artem novam aut incertam, ut ignarum vulgus putat.



# MORTIS LIPSIANAE

RELATIO CRITICE EDITA

A THEODORICO SACRÉ

**L**ibello Melissa proximo superiore edita nobis est relatio de morte Iusti Lipsii, quam in codice quodam Bruxellensi forte offenderamus. Quam cum prelo parassemus, contigit nobis ut iter institueremus in Urbem paucosque in ea transigeremus dies. Colloquia enim docta in honorem Lipsii in ipsis Academiae Belgicae aedibus habebantur, quae Marcus Laureys, professor academicus nunc Bonnensis, iuvante Instituto Historico Belgico, ordinanda curaverat. Feliciter peracto conventu tridui spatio, triduum nobis erat alterum ad monumenta Urbis invisenda necnon ad bibliothecas eiusdem adeundas.

Itaque in bibliotheca Instituti Historici Societatis Iesu tandem aliquando exemplum repperimus Annuarum Litterarum S.I. 1606-1608, quas in patria diu frustra requisieramus (tanta est enim earum difficultas, ut typis expressae deperisse videantur fere cunctae, manu vero exaratae passim asserventur): «Litterae annuae Societatis Iesu Anni 1606. 1607. & 1608 datae de more ex provinciis ad R.P.N. Generalem Praepositum eiusdemque autoritate expressae Moguntiae, ex Architypographia Ioannis Albini, anno M.DC. XVIII». Quas cum in pagina 630a aperuissemus, ecce relatio ea ipsa, quam e codice manu scripto in lucem non ita pridem edideramus, typis vulgata sese nobis obviam tulit legentibus, variantibus tamen locis non ita paucis.

Quid inde interpretaremur? Epistola enim quadam Hosschiana freti, rerum in Collegio Lovaniensi S.I. annis 1542-1625 gestarum scriptorem Hosschium ipsum fuisse opinati eramus eundemque annales eos anno circiter 1627 perscripsisse<sup>1</sup>. Verum haec relatio typis edita a codice manu scripto non tam procul distabat. Quid ergo? Hoc mihi equidem constare videtur, relationem exaratam esse cum Corselii Oratio in funere Lipsii habita publicam vidisset lucem et Francisci Paludini Epistola de morte Lipsii (utrumque autem opusculum in commentatiuncula nuper emissa attigimus) civibus Lovaniensibus innotuisset. Ea fere tempestate Iesuita quidam rebus anni 1606 enarratis Lipsianae mortis nuntium inseruit. Litteras eas, quibus nuntius inerat mortuarius, Romam de

more missas suos contulerunt in usus tum scriptor Romanus in rebus annorum 1606-1608 perscribendis, tum ipse Hosschius, qui anno circiter 1627 res annis 1542-1625 apud Patres Lovanienses gestas in unum, ut ita dicam, redegit volumen<sup>2</sup>. Inde variantes haud pauci ei, quos animadvertimus, loci; nam et scriptor Romanus et ipse Hosschius alia ex archetypo descripserunt, alia e medio sustulerunt, alia vel immutarunt vel addiderunt. Nec tu, candide lector, de variis eis locis eras celandus; neque nobis rem nuperrime repertam silentio praetermittere licebat.

Itaque collatis exemplaribus criticam ita paravimus editionem, ut verba, quae in libro manu scripto inveniuntur, denuo proponeremus, reiectis in apparatus lectionibus eis quae in impressis tantum pagellis leguntur.

\*  
\* \*

Ex Historia Collegii Societatis Iesu Lovaniensis, a. 1606

(...)

**E**xuberanti tam laetis fructibus sodalitati acerbum sane vulnus inflixit Iusti Lipsii funus, qui vir gloriae capax magis quam cupidus, ut orbem terrarum ingenii ac doctrinae laude complevit, sic affectu semper animoque contempsit, ideoque sodalitatis huius illustrissimum non minus quam saeculi sui ornamentum. Vixerat Lovanii annos 13, interim ad Deiparae cultum ita propensus, ut sicut ab eo stili et eruditionis, ita merito cultus Virginei ac solidae peterentur virtutis exempla. Sacris adhortationibus ita pascebatur, ut omnes assiduitate superaret, ita legum observans, ut nihil religiosius faceret, sive confessione aperienda essent peccata, sive sacra synaxis adeunda. Omnes

denique genuini sodalis numeros ad amussim explebat. Sed in morte vel maxime pietas eius eluxit. Quasi illam praesensisset animo, ita sub initium morbi illud extremum sibi temporis futurum praedixit. Prima ergo illum sollicitudo incessit Christianis sacris ad extremam luctam se communire, aliis omnibus curis exclusis; bibliothecae, quam habebat exstructissimam, litterarum, testamenti mirum silentium, nulla ceterarum querela. Sed vel tacitus meditabatur aeterna, vel piis de Deo crucifixo aut eius matris colloquiis intendebat. Cum noster sacerdos ad omnem curam in eam patronam, quam stilo coluisset et mente, collocandam hortaretur, languidis manibus pileolum capiti detraxit iunctisque suppliciter manibus caelum aspiciens «Utinam», inquit, «Mater omnium mihi his temporibus meis sit Mater. Atque ut ista mihi felicitas obtingat, per litanias, quoad licet, mi Pater, eam propitiemus.» Itaque eas recitari iussas moribunda quidem voce sed vivo pietatis sensu prosequeretur, et subinde, ut eius quieti consulerent subsistentes, sancta quadam impatientia revocabat ad cursum. Erat enim illi iucundissima Virginis memoria, quodque illam a teneris ex animo coluisset, iam morituro maximum aiebat esse solacium. Dum altius cogitationi cuiquam inhaereret, rogatus quid mente voveret, «promissam», inquit, «divinitus laboribus mercedem». Denique facta dictaque eius Christianum philosophum ac verum sodalem arguebant. Nam hortantibus quibusdam ut, de qua saepe disseruisset, Stoicam illam patientiam hoc suo tempore adhiberet, «Ista sunt», inquit, «deliramenta stultorum», digitoque in crucifixum intento, «illa, illa est vera patientia», inquit; «Domine Jesu, doce me me patientiam Christianam». Ut porro indulgentiarum particeps esset, dulcissima Jesu et Mariae nomina fractis et intermortuis vocibus vices iteravit, inter quas felicem animam exhalavit. Expiatam siquidem omnino credimus tum sacrificiis pro illa oblatis, tum doloribus aequo animo ferendis, tum Beatae Virginis toties implorato patrocinio, tum largitionibus piisque legatis. Nam et Graecam bibliothecam Societati, Beatae Virgini pollicitam vestem admodum pretiosam, sodalitati aliisque pauperibus non exiguam pecuniam legavit. Ita quae habuit pie distribuit, quae non habuit contempsit. Nec alias forte magis id patuit, quam cum saepe invitatus a Galliarum rege magnis opibus et honorario mille nummum aureum ac eo ampliori, ut ipsum Delphinum, regis filium, instruendum formandumque susciperet, semper modestiae causa honorem illum detrectavit aurea sua mediocritate contentus. Sed nihil vivacius hunc rerum humanarum contemptum spirat quam quod ipsemet sibi condidit epitaphium, breve quidem, sed efficax et nervosum et, verbo ut

absolvam, Lipsio dignum. Atque hic exitus fuit ac fortunata mors viri doctrinae et virtutis gloria immortalis.

\*  
\* \*

Exuberanti .... ornamentum **M**: Obiit mortem Iustus Lipsius editis operibus clarus, non vulgare huius sodalitates ornamentum **ed**.

stili et eruditionis, ita **M**: virtutis et eruditionis, sic **ed**.

Virginei ... exempla **M**: Dei Matris exempla peterentur **ed**.

essent peccata **M**: peccata **ed**.

genuini sodalis **M**: perfecti sodalis **ed**.

ad amussim explebat **M**: accuratissime explevit **ed**.

Sed in morte ... eluxit **M**: Sed qui fuerit vir in morte vel maxime claruit **ed**.

praesensisset **M**: praesentiret **ed**.

ita ... praedixit **M**: simul ac in morbum incideret illud extremum vitae temporis futurum esse praedixerat. Nec temere; ut enim morbo teneri coepit, paucis diebus est mortuus. Feliciter sane: nam sub initium morbi mirum quanta fuerit in sacris omnibus Christiano ritu procurandis sollicitudo **ed**.

Prima ergo ... exclusis **M**: **om. ed**.

quam habebat exstructissimam **M**: **om. ed**.

ceterarum querela **M**: ceterarum rerum querela **ed**.

tacitus meditabatur **M**: tacitus secum meditabatur **ed**.

crucifixo ... intendebat **M**: crucifixo vel de Beata Virgine colloquiis animum intendebat **ed**.

pileolum **M**: nocturnum pileolum **ed**.

suppliciter **M**: **om. ed**.

caelum aspiciens **M**: caelum suspiciens **ed**.

Atque ut ista ... propitiemus **M**: Ut autem hoc impetraret litanias recitandas curavit, quas una recitavit cum ceteris **ed**.

Itaque eas recitari ... revocabat ad cursum **M**: In medio subinde insistentes, ut quieti eius consulerent, revocabat ad cursum **ed**.

iucundissima Virginis memoria **M**: de Virgine sermo voluptati **ed**.

a teneris ex animo coluisset **M**: a primis annis coluisset ex animo **ed**.





Dum altius cogitationi **M**: Monitus ut cum Beato Stephano diceret illud: «Domine Iesu, accipe spiritum meum», «Dico», inquit, Domine, dico cum Beato Stephano: 'Domine Iesu, accipe spiritum meum'; addiditque nonnumquam quanta potuit vi, oculis caelum spectantibus: «In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum». Rursum cum altius cogitationi **ed**.

laboribus mercedem». **M**: laboribus mercedem. An existimas opum gratia me fecisse quae feci? Aliam mihi proposui mercedem: illa animo meo haeret infixam». **ed**.

philosophum ac verum sodalem arguebant. Nam hortantibus **M**: philosophum et verum sodalem arguebant. Quoties crucifixum rogavit sibi ad osculandum dari? Quoties eum patientiae magistrum pro aspectu se audire testatus? Hortantibus **ed**.

de qua saepe disseruisset ... adhiberet **M**: de qua saepe tractasset, Stoicam patientiam ostenderet **ed**.

illa, illa est vera **M**: illa est vera **ed**.

Ut porro indulgentiarum **M**: Ut indulgentiarum **ed**.

vicies iteravit **M**: ante dulcissima Jesu **pos. ed**.

exhalavit **M**: edidit **ed**.

tum sacrificiis pro illa oblatis **M**: tum sacrificiis (quae si quando offerebantur a nostris exsultabat) **ed**.

aequo animo ferendis **M**: patienter ferendis **ed**.

Virginis toties implorato patrocinio **M**: Virginis,

quam de aeternitate decertans saepe invocavit, patrocinio **ed**.

piisque legatis **M**: et piis legatis **ed**.

pollicitam vestem admodum pretiosam **M**: pellitam vestem pretiosam **ed**.

sodalitati aliisque ... pecuniam **M**: om. **ed**.

Ita quae habuit ... contempsit **M**: Adde contemptorem eorum fuisse quae hominum vulgus suspicit **ed**.

Nec alias forte magis ... saepe invitatus a Galliarum rege **M**: Saepe invitatus a rege Galliae **ed**.

ac eo ampliori ... virtutis gloria immortalis **M**: et ampliori, ut in eius disciplinam Delphinus, ipsius regis filius, traderetur, modestiae causa excusavit, humiliori sorte contentus. Et haec maiori sodalitis memoria digna contingere. **ed**.

#### ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> Annuas enim Litteras, quibus annus 1606us tractatus esset, non nisi anno 1618 typis expressas esse diximus. Ceterum Annuarum anni 1606 index, quem in bibliotheca Antverpiensi vidimus, Lipsii mentionem non fecit; inde factum ut neque in ipsis Annis Lipsium memoratum esse autumaremus.
- <sup>2</sup> Ceterum veri est simile Hosschium non solum litteras primarias (quae Lovanii servabantur), sed et typis anno 1618 editas adhibuisse. **ra**


### *Latinitas viva reflorescit in Anglia !*

Hic optimus nuntius nobis allatus est ex Anglica urbe Oxonia, ubi nuper habita sunt Latinitatis vivae seminaria: acroases, disputationes, colloquia - omnia Latine! De quibus rebus certe sero referimus, cum actae sint mense Maio et ineunte hoc mense, sed iis vestrum, qui in Anglia versantur, ut de futuris eventis Latinis plura sciant utilis erit haec inscriptio cursualis:

Philomen Probert  
Exeter College  
GB-Oxford OXI 3DP

## VETUS PUTEUS (II)

COREANICE SCRIPSIT OH JUNG-HEE, IN LATINUM CONVERTIT NICOLAUS GROSS



Oppidum fluvio divisum est in regionem septentrionalem et meridionalem. Ad pontem, quo inter se coniunguntur regio septentrionalis officinas agriculturales continens, et meridionalis, ubi res consumuntur, situm est forum holitorium. Ex eo tempore, quo maritus et filius bibunt sucum viridem, saepe emo in hoc foro propter pretia opportuna et merces recentes. Si multo mane illuc venio, adhuc accipio holera recentissima, viridia folia et radices, quae videntur esse adhuc humo aequaliter irradiata. Quibus animus meus quadamtenus contentus redditur, quasi ipsa sole oriente talis irroratis consistere inter plantas virides. Hoc momento temporis desidero proprium hortum holitorium, in quo possum laborare propriis manibus. Talem desidero, quamvis audiverim pleraque holera non opponi soli, vento, pluviae, sed coli in tepidario, ubi temperatura, umor, lumen incidens apte regularentur et emptores falli eo quod herbae vietae aqua macerarentur, ut essent viridis coloris et aspectus recentis.

\*  
\* \*

Cum e foro venire et ponderosos cucullos vinylicos mecum portarem, qui praeter alia completi erant symphyto et brassica bullata et herba ambrosiana, breviter deliberavi, num ante aestatem mihi compararem diploma autocineti gubernandi. Ipso in hoc tempore e vicinis et amicis qui iam coeperant autocinetum gubernare saepe audiebam se usu autocineti commodius et liberius vivere. Sed pontem cum advenissem, desii cogitare de autocineti gubernando.

Autocineta in ordine exspectantium steterunt immobilia. In fine pontis via instar flabelli dividitur in tres orbitas, quae omnes ducunt medium in oppidum. Quo phaenomeno «colli lagoenae» (ut aiunt) semper efficitur conglobatio vehiculorum. Raro autem accidit, ut, sicut illo tempore,

autocineta prorsus immobilia stent ordine exspectantium fere infinito impedita.

Mulier, cuius comptus erat nido rattorum similis, quae crassum amiculum hibernum gestavit, sublabratis compluribus sigarellis accensis stetit media in via, ambo bracchia huc et illuc agitans ad com meatum regulandum. Cum pedites eam deriderent, autoraedarii indignati bucinaverunt. Eo momento temporis in ordine conspexi autocinetum coloris caerulei mihi notum. Autocinetum mariti mei. In sede posteriore et sede convectoria erant alii viri. Opinor eos profectos esse post prandium in popina piscium crudorum sumptum, quae erat ex altera parte pontis. Maritus meus, qui in mensa argentaria est praepositus sectionis, munere obligatus est, ut eat pransum una cum clientibus praecipuis. Idem manus deposuit in rota moderatrice. Facies eius, quam ceteri viri in autocineto videre non poterant, mihi videbatur lassa et fatigata. Viri in sede posteriore sedentes fenestra demissa capitibus protensis de muliere riserunt. Ego haud consulto mansi extra visum mariti mei. Qui videbatur me non vidisse. Semper spectabat in directum. Quamvis iisdem vestimentis indutus ac matutino tempore, extra domum mihi videbatur alienus esse. Prorsus nescivi quid agerem et quare animus meus sic commoveretur. Autocineto mariti tam propinqua eram, ut me animadverteret, si aliquanto diutius eum aspectassem aut, etsi submissem, appellassem.

Mulier mente capta videbatur saepius sic com meatum custodire. Cum vigil eius umeris comprehensis procederet, illa obsecuta autocinetis annutabat, quae tamquam agmen scarabaeorum aquaticorum infinitum steterunt conglobata.

Tum autocineta lente perrexerunt, ut vehiculum coloris caerulei evaderet e conspectu meo. Quod oculis observans, dum non iam videri posset, lente progressa sum.

\*  
\* \*

Nonnullis laophoris praetermissis mente distracta remansi in statione. Nonnulli nummi, quos tenui ad pretium vehendi solvendum, paulatim sudore umescebant, madefiebant. Cogitavi cucullos meos graviores esse quam ut

veherer laophoro. Horam demum esse tertiam, domi nullam rem urgere parandam, sat multum temporis restare usque ad cenam oryzae coquendam. Sic mihi ipsa dixi, ut quadamtenus rationem redderem. Quamvis lumen semaphori luceret viride, non cogitavi viam transgredi, sed aspexi aedificium ex adverso situm, mihique dixi voce rauca me cupere pocillum cafeae calidae. Non facile erat taxiraedam sumere. Adfuerunt interdum taxiraedae liberae, sed eaedem praetervectae sunt, antequam manum sustuli. Liberas autem taxiraedas in adversum vehentes saepe vidi. Quia videbatur mihi melius esse in altero latere viae sumere taxiraedam, quamvis per ambages vehendum esset, viam transgressa sum. Lente ii et cessans, quasi quaererem indicium stationis taxiraedarum. Tum non consulto constiti.

\*  
\* \*

Non ita verum est me non consulto constitisse. Non possum quin confitear has ambages domo usque in hunc locum factas esse per spatium complurium annorum. Steti ad specular proxima frontem opprimens, quasi foramen vellem infringere, per quod introirem. Ibi, ubi diutius ante consideram, ad mensam prope fenestram constitutam, e qua ipse fluvius conspiciebatur, negligenter deposita erant cistella sigarellorum, pocillum cafeae dimidiam partem epotum, nonnullae claves colligatae. Sigarellum cinerario impositum fumabat. Sella erat vacua. Imago mei vitro reflexa super his rebus tamquam phantasma volitabatur. Alte inspirabam, oculis dilatis. Num timebam inanitatem, evanescentiam? Ibidem mundus erat ulterior, ubi nullus sonus audiebatur, quamvis malum de arbore cecidisset. Signale illud, quod interdum telephono a me auditum mediis tenebris inhaustum evanescit. Quod signale est tamquam enuntiatum impersonale, quod nunc semper exprimendum est forma praeteriti. Equidem idem summa opera data, omnibus viribus, non exprimere valeo nisi verbo, qui est 'ille'.

\*  
\* \*

Fuit caupona theana, e qua paria amantium in fluvium despectabant usque ad solis occasum. Gravis ianua lignea impressa crepitu edito est aperta. Meridies cum esset, caupona theana ab hospitibus vacua erat silentiosa. Talis, qualis fuerat illo tempore. Omnia fuerunt talia qualia prius, quasi solita methodo scaenae theatrae in memoriam revocata. Haec scaena ab illa praeterita non distulit nisi eo, quod caupo, qui indutus erat bella

camisia eburnea globulis geminis instructa, nunc fuit barbatus. Cetera omnia fuerunt talia, qualia illo tempore fuerant, sed coeperant viescere et inveterascere. Consedi in sellam mediam, e qua mensam aspectarem pocillo theano obsitam. Vir, qui videbatur in hac sella sedisse, modo telephonavit in cellula iuxta mensam venaliciam sita, dorso mihi obverso. Vox autem eius per dissepimentum vitreum audiri non potuit.

\*  
\* \*

'Nunc revera tempus vernale est'. Sic dixit caupo mihi tradens indicem ciborum corio vestitum. Illa, quae ego illo tempore fueram, sibi mandaverat cafeam 'Montis Caerulei', voce rauca et profunda, quae mihi ipsi visa erat aliena.

Si nunc iterum essem una cum 'illo', caupo, sicut illo tempore, diceret, quam pulcher esset color fluvii. 'Ille' si respondisset 'ita est', caupo adderet: 'In hac regione neque est ver neque autumnus. Si est ver, iam est aestas, si venit autumnus, iam cadit nix.' Caupo cognoverat 'illum' venisse e megalopoli inquieta. Indigenae non dicunt colorem fluvii esse pulchrum. Talia potius dicuntur a migratoribus praetereuntibus, breviter manentibus et in aeternum abeuntibus. Non conspicio sigarellum nisi dum fumifico, hyalum cervesiae aut pocillum theae nisi dum bibo.

E sigarello, quod cinerario erat impositum, cum fumus caesius non iam ederetur, cinis accurvatus aliquo momento tranquille decidit. Aspectabam fluvium parvamque insulam arundineti obsitam, quam aspectarat 'ille' super umeros meos.

Vir canutus venit e cella telephonica seque demisit in sellam. Accendi sigarellum sublabratum. Caupo mihi attulit cafeam. Sensi fragrantiam cafeae fortem fervidamque per venas tela aranae subtiliores pervadere quasi vibrantem aerem delapsam. Vir, qui sedit ad mensam ex adverso sitam, quasi fragrantiam odoratus, oculis sublatis me aspexit. Momento temporis inter nos conspeximus. Eius oculi mihi quadamtenus dilati et inquieti videbantur. Scivi, quam bene saperet cafea, ab ipso caupone cocta, scivi etiam eundem esse cinaedum. In hoc oppido parvo nihil potest occultari. Haud scio an caupo barba promissa, sed parum naturali, occultare voluerit indolem suam, praesertim cum nondum fuerit aetate provector.

\*  
\* \*

Persona mortui Beethovenii gypsea pependit ex eodem parietis loco superiore quo prius. Puto me 'illi', qui adversus me sederat, narrasse, quomodo

in scholae mediae institutione artis figurativae fudissem personam gypseam. A me perceptum esse sensum frigoris et coloris nigri, quasi album visificum evanesceret, cum naso obturato, oculis conclusis duram pastam gypseam oblevissem faciei meae. Puto me 'illi' dixisse talia fortasse sentiri a mortuis. Puto me, ut oculos eius e remoto tantum super umerum meum directos omnibus viribus defigerem ad me, fortiter balbutivisse de moriendo.

\*  
\* \*

Vir, qui sigarellum fumificando consumpserat, surrexit et rediit in cellam telephonicam. Me verti. Fluvius colore vernali insignis erat. Mons remotus, cum foliis adhuc vacuus esset, mihi videbatur subfuscus, sed in pascuis, quae praeter aggerem fluvii erant ordinata, praevalebat color e nebuloso viridis. Medio fere in ponte vidi mulierem, quae dorso perquam incurvato aquam fluvii inspexit. Interdum homines ad pontem mortem sibi consciscabant. De quibus in columnis actorum diurnorum provinciae inferioribus referebatur, una tantum linea, sub titulis, quales sunt 'De morbo desperatus' aut 'Paupertas' aut 'Aegritudo amatoria'. Cum fluvius sub poste, quo pons medius sustentatur, incredibiliter rapidus sit, dicuntur aquis submersi in profundum subiecti longo demum tempore post infra, ubi vis aquae minor sit, lente ad ripam aggeri.

\*  
\* \*

Cum puella essem, mors mihi videbatur esse involucrum album. Interdum e schola reversa aut domo profecta videbam involucrum album semel complicatum portae domesticae et posti laterali intersertum. In familia mea nemo sciebat, quis id illo loco infixisset, et quando. Adulti non narrabant hoc fuisse nuntium lugubrem, sed nos parvuli aliquo modo cognoveramus esse aliquid infelix et fatale, quod nobis non liceret tangere et aperire. Mors aliqua, quae indita erat involucri albo ab inscriptione vacuo et momento temporis, quo a nemine animadverteretur, clam fissurae portae domesticae erat infixata, mysterium nobis erat alienum et horrificum.

Summa aestate, qua omnia facta erant viridia, pater meus in lecto moriturus dixit se audire ramos arborum diffringi. Aures eius ad mundum ulteriorem directae cellophano tenuiores atque pellucidiores erant factae, ut iisdem audiret sonos, qui a ceteris hominibus non percipiuntur neque exstant nisi in phantasia. Nos cognati congregati, ut adessemus hora eius ultima, non

credidimus ei, cum soni nihil esse videbantur nisi tinnitus aurium hominis morituri; tamen saepius simulabamus e fenestra exspicere, ut animum eius tranquillaremus. Nescivimus sonos effici voce mortis. Iuniores fuimus quam ut mortem cognosceremus. 'Tam purus et decorus a nobis abiit'. Sic mater mea dixerat gloriosa, sed brevi post pater meus edere coepit foetorem. Ut antea cachinno sublato quasserat corpus totum, sic nunc toto corpore exhalavit foetorem. Mater nesciverat talia dicere sibi non licere. Homines priores, quamvis superstitiosi, tamen recte opinati erant. Illi sciverant morti attribuere dignitatem. Vetuerant, ne de quo mortuo fieret sermo. Cum media nocte parentalia fierent in tecto, iacca alba mortui circumagitabatur et inclamabatur in caelum nigerrimum. Tum filiulus meus dixit avem albam permagnam volitasse in caelum nigrum.

\*  
\* \*

'Ille' cum mortuus esset, diu laboravi tinnitu aurium, sed interim sanata sum. Cum lamentata essem, aures meas infinite inflari doloresque ipsum cerebrum invadere, quasi ratione non intellegibili strepitus totius mundi in me saeviret, iuvenis medicus otorhinolaryngologus diagnosin dixit sine magna confidentia sui: cochleam meam auditoriam fortasse non bene dispositam esse. Interim more solito vivo neque iam inest mihi vestigium 'illius'. Comedo, dormio, venere fruor brevi, usitata, quae fit tamquam gemitus levissimus hominis solitarii. Sed ut omnes mortui etiamsi memoria sua oblitterata in heredio descendentium pergunt vivere, 'ille' remansit in levibus gestibus meis et consuetudinibus. E die inexpectato, quo in actorum diurnorum praeconio lugubri legi eum mortuum esse, soleo eius numerum telephonicum quasi in aere volitantem plectris firme impressis eligere. Ordo numerorum, quo 'ille' nunc non iam potest uti, medias in tenebras sonos emittit infinitos. Quare et quomodo 'ille' mortuus sit - hoc quaerere, ineptum esse videtur...

☛



# INGENUUS - SERVUS - LIBERTUS (V)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

*(ultima pars de liberto)*

**P**eculium - pars rei familiaris - forma deminutiva est vocis «pecuniae»; nonnumquam patrimonium designabat, subsidium subitae inopiae, quod a patre familias cuidam subiecto sua sponte tradebatur tamquam pecunia credita pro opera mercatoria; officina aut aedificium erat, fundus servi, pecora aut postulationes pertinentes ad alios.

Infantes domus et servi potestati patris familias subiecti non erant sui iuris, ergo non erant possessores peculii, sed administratores. Pater familias responsabilis erat aeris alieni subiecti usque ad summam peculii.

Creditor peculii una cum concessione peculii ius obtinuit administrandi et arbitrii sui. Potestas peculii omni tempore retractari poterat a patre familias.

Patre familias mortuo peculium non redit ad filium aut ad possessorem, sed iterum redit ad rem familiarem. Filio familias, cui erat peculium, non licebat:

- partem peculii dono dare
- servum manumittere
- testamento constituere de peculio.

Quod attinebat ad «peculium castrense» (bona a filio familias in bello acquisita), patri familias non licebat constituere de illa re. Filio autem sine testamento mortuo peculium castrense redibat ad patrem familias.

Inde ab anno 200 p.C.n., Caracalla imperitante, peculio id addebatur, quod filius familias domo secum apportaverat.

Aetate Constantini filio familias bona materna quoque bonaque adventicia acquirere licebat. Pater familias id agere solebat, ut et servus et filius familias et libertus peculium auferent pactionibus cum aliis factis.

Eratne cohabitatio liberti et patroni obligatoria?

Secundum obsequium libertum patronum sequi oportebat et in patroni habitatione habitare, vivere ergo sub eodem tecto cum patrono. Augusto autem imperitante illa obligatio est abolita.

In praxi libertus libertate vix fruebatur, quia

habitationi patroni non erat ianua privata. Autumandum ergo est eum habitavisse in eadem cella, quam servus occupaverat, aut «sub tegulis», i.e. in cellulis sordidis incendiis expositis, quia tabulata superiora multarum domuum Romanarum e ligno erant exstructa. Generatim autem habitavisse videntur primo tabulato iuxta conclavia patronorum, tali modo semper «ad manum» patrono.

Si patronus liberto operas imperaverat domesticas, opus erat constanti praesentia, agebatur ergo de cohabitatione - extensa etiam ad filios quoque liberti. Inde ab anno a.C.n. 304 liberti inscribebantur in tribubus urbanis. Agebatur de quadam gravi iniuria, de discriminatione contra libertos: filius enim patroni inscriptus erat in eadem tribu ac pater; varia autem erat sors liberti, nam inde ab anno 304 ingenui infames quoque inscribebantur in tribubus urbanis.

Persaepe in titulis lapidum sepulcralium aut votivorum patroni ingenui tribum indicant suam, liberti autem in eodem titulo mentionem tribus suae non faciunt, praecipue si patronus tribui rusticae adhaerebat. Qua de causa liberti inscripti in tribu urbana «inferioritatem» suam acuere nolebant.

Nonnumquam libertis praedia erant aut villae; alii deversoria possidebant pretiosissima. Quidam liberti domicilium possidebant suum quod patrono assentiente habitabant rationum professionalium causa.

Alii liberti pecuniam collocabant suam in insulis aut villis rusticis aut latifundiis ubi ipsi non habitabant (e.g. Tiro ille Ciceronis); nonnulli fundum obtinuerant peculii specie a patrono concessum. De duobus autem aspectuum generibus erit cogitandum: et de oeconomicis et de professionalibus. Illi tantummodo patroni libertos suos accipere poterant sub tecto, quibus satis erat spatii. Qua de causa multi liberti speculationum et penuriae habitationum causa contenti esse debebant «sub tectis» habitare aut in quadam cella. Mirum non est tot ingenuos pauperes servos suos manumisisse.

Multorum ergo libertorum erat manere in patroni domo operarum causa i.e. sub tecto quo antea tamquam servi iam vixerant.

Et quid de habitatione mortuorum?

Difficultates vix exstabant si relationes inter patronum ac libertum fuerant bonae: patronus et libertus eodem tunc temporis saepe utebantur sepulcro; nihilominus quaedam semper exstabat separatio hierarchica: nomina patroni infantiumque «suorum» ac nomina libertorum duobus in registris variis erant indicata: tituli ad libertos pertinentes plerumque in registro inferiore erant incisi, sculpturae libertorum modo modestiore confectae opere caelato plus minusve in margine repraesentabantur stantes - patrono mensae accumbente.

Quod attinet ad illa monumenta sepulcralia, pondus libertorum ibi est marginale: individualitas personarum titulusque nil sunt nisi «hymni repetiti» ad gloriam gentis spectantes, personalitas libertorum evanescit auctoritate gentis cui erant adiudicati: statuae individuales collocatae generatim habebantur privilegia nobilium.

Quidam aspectus materiales quoque alicuius erant momenti: nonnulli patroni nonnumquam locum praebebant; libertus - solus aut cum collibertis servisque - impensas monumenti erigendi suscipiebat.

In nonnullis dedicationibus legimus libertos monumentum pro se patronisque suis erexisse impensis. Generatim autem patroni tales impensas pro libertis defunctis de suo persolvebant.

Obsequium liberti usque ad mortem i.e. ad ultimam habitationem patronis valde erat cordi; sperabant quam multos pilleatos pompam funebrem esse secuturos. Ea de causa testamento multos manumittere cupiebant servos.

Pro dolor autem non omnes liberti a patrono hospitio excipiebantur post mortem in sepulcro suo. Ergo inde a primo a.C.n. saeculo exeunte magnus numerus servorum ac libertorum monumenta ingentia - columbaria - struenda curaverunt, quibus ollae cinerariae libertorum defunctorum exciperentur. Identitas libertorum parva tabula repraesentabatur opere caelato minusculo exornata extrinsecusque invisibili (non conspicua). Ceterum servientes quoque personarum divitum ibi condi solebant. Agebatur de usu translaticio propter nimium pretium fundorum sive locorum in urbe. Tales ollae et parvae tabulae marmoreae effossae testimonia sunt talium sepulturarum communium.

Consuetudines funebres occasione caerimoniae valde inter se differebant quoad servos et libertos. Cadavera servorum praecipue familiae rusticae noctu libitinae imposita efferebantur extra moenia et in fossas communes aut puticulos coniciebantur, praecipue occasione pestilentiarum. Liberti autem decursu temporis satis non iam habebant cineres suos condi in catacumbis, sed digniores lapides

sepulcrales sibi faciendos vivi curaverunt («*Vivus fecit sibi*») magnasque erogabant pecunias. Talia monumenta sepulcralia nonnumquam altissima libertorum iuxta itinera erant sita, quorum loca plurimi constabant. Ceterum «loci» terminus in tali conexu ad locum spectat a liberto pro funere empto.

Magno cum studio libertus id agebat, ut ultima sua habitatio nitore ac magna luxuria exornaretur, ita ut a praetereuntibus aspiceretur et aestimaretur. Quo factum est, ut decursu temporum sepulcra hereditaria erigerent titulisque superbis exornarent: «*Hoc monumentum heredem non sequetur*» aut formulis restringentibus. Pecunia autem ad talia monumenta erigenda deficiente liberti alios collibertos sibi asciscere solebant communis sepulcri faciendi causa et in collegiis funeraticis congregati loca ollarum condendarum causa sibi acquirebant.

Separatis autem «ultimis habitationibus» relationes inter patronos et libertos nullo modo erant ruptae, praesertim cum liberti maximam partem iuxta patroni sepulcrum sepelirentur. Liberti, quibus patronus cellam concesserat in domo sua, post mortem generatim in columbario familiae sepeliebantur. Plurimis autem ultima habitatio offerebatur a quodam collegio servorum, libertorum, ingenuorum pauperum quibuscum nunc solidaritate sortis erant iuncti. (cfr Georges Fabre, *Libertus*, Lille 1982, pp. 221 sqq.)

Et quid de «Apolline»?

Urbi Theodiscae nostrae aetatis, cui nomen est Aachen (Aix-la-Chapelle), in antiquitate, aetate principatus, nomen erat Aquae Granni. Illis iam temporibus illa urbs vicus recreationis erat: piscinae ibi exstabant thermales, fontes medicales aquarum mineralium satis salubrium, quo homines convenire solebant valetudinis corroborandae causa. Forsitan Verus quoque noster libertus (cfr Melissam 77 p. 12) quondam ibi versatus est et hoc lapide gratias egit Apollini deo tutelario illorum balneorum. Grannus nomen erat dei Germanorum et Celtarum, tutelae aquarum medicatarum balneorum, qui in illa urbe una cum Apolline colebatur; eadem de causa Apollo et a Germanis et a Romanis nomine Apollinis Granni adorabatur. Sacrarium centrale ei ibi erat erectum cum fonte medicato itemque duo templa Gallo-Romana magnaepiscinae thermales (cfr Horn, *Die Römer in NRW*, Stuttgart 1987, p. 278). Grannus ergo tertio p.C.n. saeculo secundum «interpretationem Romanam» integratus est in cultum Romanorum. Non solum in Gallia colebatur aetate principatus, sed etiam in Asia Minore a Galatis sive Gallo-Graecis, qui anno a.C.n. 275 immigraverant in Asiam Minorem (cfr Horn, *op. cit.* p. 323).




Quod attinet ad nomen liberti nostri:

Nomenclatio liberti tres habet aspectus:

- elementum personale / individuale; nonnumquam nomen pristinum servi (= originis)
- relatio ad dominum pristinum (C[ai] L) aut nomen tribus
- valor socialis: L = servus pristinus, id quod exprimit statum submissionis (quodammodo macula erat, stigma)

Libertus decursu temporis praenomen adoptat patroni. Illa identitas praenominis patroni et nominis liberti satis lente est evoluta. ☛

[Photographemata proposita in hac serie symbolarum ex archivo Coloniensi assumpta sunt: Rheinisches Bildarchiv Köln, Aiadius 49169, Vagdavercustis 75235]



## DE NOVIS LIBRIS

**P. Caelestis EICHENSEER** mox proponetur opus, cui titulus erit *De itinere Graeco* (nunc sub prelo). Hic enim nuntius nobis allatus est a Societate Latina Saravipontana:

Caelestis Eichenseer *De itinere Graeco*. Graecitatis Latinitatisque communitas quaedam et unitas iam antiquitus velut in incunabulis Europae constituendae communiter habebantur. Certe quidem differentiae quoque differentitatesque inter Graecos Romanosque et Romanienses quadamtenus praevalabant. Tamen illa communitas quasi primigenia cultus civilis humanique Europaei singulariter fructifera mirabiliterque fertilis in cunctos Europaei populos posteriores etiam nunc sit omnibus admirationi. His ergo fundamentis convenienter suppositis non est absonum neque absurdum de Graecia antiqua et recentiore scribere satis Latine; immo quo plus diebus nostris perhumana hereditas Europaea quasi negligitur et supprimitur, cum recentissimae artes technicae machinalesque praeponderent ceterisque rebus praeemineant, solidus conexus antiquus necessario renovandus est et demonstrandus.

Hoc fit hoc libro, quo de Graecia antiqua eademque «classica» Latine refertur. Sed etiam «praeclassica» et «praehistorica» non paucis locis tanguntur, verum etiam «postclassica» et Hellenistica et posteriora et recentiora neque negliguntur neque praetermittuntur. Haec quidem cuncta culto fiunt sermone Latino. Quo opere Graecis fiat etiam recompensatio quaedam non iniucunda pro iniuriis quibusdam ab occidentalibus per occasiones insipienter allatis. Denique singula referuntur et narrantur secundum itineris cursum periegetici anno 1984 per partes quasdam Graeciae feliciter facti, subiunctis paene innumerabilibus locis testibus.

Hic liber aliquarum sescentarum quadraginta paginarum computatur constare quadraginta quinque marcis Germanicis (DM 45). Quod volumen petatur a sede, quae est haec: Societas Latina, Universität des Saarlandes - FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken.

### De Erasmo

Domus Erasmiana Bruxellensis opera Erasmi paulatim curat in Francogallicum vertenda. Nuper in publicum propositi sunt duo libri, quorum editio libricolis videbitur mirabiliter pulchra: agitur de Adagiis et de Apologia. In Adagiis textus Latinus etiam inest, in Apologia non. Additae sunt explicationes et adnotationes multae. Versionem autem Francogallicam stilo illius temporis optime fecit sodalis noster Alanus Van Dievoet, qui est Domus Erasmiana cooperatores Latinus.

*Apologie d'Erasmus de Rotterdam*, traduite du latin par A. Van Dievoet, Notulae Erasmianae I, Bruxellis, ed. La Lettre volée à la Maison d'Erasmus, 1997.

O. SMOLDERS, *Quatorze adages d'Erasmus*, traductions latines d'A. Van Dievoet, Bruxellis, Editions du Scarabée à la Maison d'Erasmus, 1997.

Domus Erasmiana: 31, rue du Chapitre, B-1070 Bruxelles



## MUSICA LATINA

Hi vestrum, qui musicam «rockicam» amant, sine dubio gaudebunt: nam eis nunc licet se studio suo Latine dicare. Doctor enim Ammond, qui ante nonnullos annos Latine cecinit Elvisium Presley, in lucem edidit phonodiscum compactum c.t. «Rocking in latin; carmina in Latinum vertit Teivas Oksala. (Doctor Ammond, Rocking in latin, Stops records SR-1010, ViihdeSallap Oy, PL 252, SF-40101 Jyväskylä)



# LATINE LOQUI ...

## SEMINARIA SOCIETATIS LATINAE

**Geldoniae (Jodoigne) in Belgica a die 17 in diem 24 mensis Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Gaium Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

**Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 27 mensis Iulii in diem 2 mensis Augusti a. 1997**

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
D-66041 Saarbrücken

## DISPUTATIONES MONTELLENSES

**Montellae in Italia a die 24 in diem 31 m. Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Aloisium Miraglia  
Contrada S. Vito, 5  
I-83048 Montella

## FERIAE LATINAE

**Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 24 in diem 31 mensis Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Clementem Desessard  
Résidence des Collines, C9  
500, rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu

## LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

**Amoeneburgi (Amöneburg) in Germania a die 27 m. Iulii in diem 2 m. Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Thomam Gölzhäuser  
Kleeberger Strasse, 40  
D-35510 Butzbach

## NONUS CONVENTUS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

**Granivici (Jyväskylä) in Finnia a die 6 in diem 13 m. Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Congressus ALF secretariatum  
P.O. Box 35  
SF-40351 Jyväskylä

## IN AMERICA

### Conventiculum Latinum

**Lexintoniae (Lexington) in Kentuckia a die 24 in diem 31 mensis Iulii a. 1997**

Scribatis ad: Terentium Tunberg - Department of Class. Languages  
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky  
Lexington KY, U.S.A (clatot@pop.uky.edu)

## SYMPOSIUM LATINUM ACADEMIAE SCIENTIARUM MARINIANAE

**Arimini (Rimini) in Italia a die 1 in diem 5 m. Septembris a. 1997**

Scribatis ad: Veram Barandovska  
Kleinenberger Weg, 16  
D-33100 Paderborn